

Matthias

... Propempticon

PI

D

C

Ca

Pra

roc

L

Per M

Ann

Ap

123.

PROPEMPTICON

Perillustri olim & Admodum Reu. Dño.

D. MATTHIÆ OBŁAMKOWIC,

Canonico & Officiali

Præpositoq; Hosp. Kielcensi, Parocho Leszczyñ. in Alma Academia Crac. Laureato, atque ibidem Cursûs Theologici triennis munifico FVNDATORI.



Iter immortalitatis ingredienti,
Ad feralem vrnam lugubri Carmine decantatum

Per M. MATTHIAM GLADYSZ Coll. Min.

Anno Æræ Christi 1654. Die 3. Mensis Septemb.

Permissu Magnifici Dñi. RECTORIS.

CRACOVIÆ,
Apud Lucam Kupisz S. R. M. Typographum.


IN STEMMA
Laureati Perilluſtris olim CANONICI:





Inquiris; ſignet roſa quid pro ſtemmate terna?
  Indicium triplex integritatis habes.
Hanc doctrina tibi, pietas, candorq; loquuntur,
  Hanc ſtudium præfert officiumq; triplex.
Laurus habet primam, meruit pietate ſecundam,
  Tertia candori iuſtitiæque data.
Hæc docuit, populo Kielcys hæc luxit ad aram,
  Exemplo cunctis tertia ſemper erat.

Iacobus Dziboni
Studioſus Poëtices.



Perilluſtri & Adm. Reu. Dño.

D. IOANNI PACERIO,

PRÆPOSITO RACOVIENSI, CANONICO Kielceñ. PAROCHO Droglineñ. &c.

Alijſq; Adm. R.R. Dñis

COEXECVTORIBVS.

Dñis& Fautoribus amplissimis.

CRaciades dum vos Muſæ vidêre dolentes
Et veſtras lacrymis immaduiſſe genas,
Amiſſum ob Fratrem veſtrum ſtudijque Patronum,
In luctus ipſæ mox abiêre ſuos,
Quare pullato gradiuntur ſyrmate triſtes,
Et veſte & vultu triſtia fata notant.
Mærent, quod functus iacet OBLAMKOVIVS ille,
Delubra & Muſæ quem coluêre patrem.
Nunc ſibi, nunc conſanguineis cecidiſſe coronam
Sæpe gemunt; multis commoda dempta vident

Incuſant nentes, ſæuiſsima Numina, Parcas,
Parcere quod Domino non voluêre ſuo.
Vobis, delubris, lumen lacrymantur ademptum,
Quod clarum cunctis vos habuiſſe, liquet.
Hoc tamen à Parcis nunc extinctum eſſe queruntur,
Parcere cum poſſent, parcere nolle velint.
Id luxiſſe diu decuit, nec meta citatæ
Tam ſubitò mortis ſic adcunda fuit.
Lauriger in luctum cytharam conuertit Apollo
Cum Muſis geminas ſoluitur in lacrymas,
Sublatumq́ gemit: fatis melioribus ille
Dignus erat! Certum eſt. Mors tamen, (inquit,) erit.
Incuſare nefas Parnaſsi Præſes Apollo
Fata viâ hac vitam nobiliore ferent.
Non moritur; viuit, dignam recipitq́ laborum
Mercedem, æternùm viuere nemo poteſt.
Parce queri, Aonides iuſtas cohibete querelas
Terreſtre aſtrigenum viuere ſorte præit.
Phlegmone quippè niſi tactus feriente fuiſſet,
Ad cælos functo non patuiſſet iter.
Fata viam cunctis faciunt, & honoribus aptos,
Quos meritis iuſtos promeruêre ſibi.
A puero Myſtæ ſtimulos virtutis ineſſe,
Quis neſcit miti cum pietate ſimul?
Semina virtutum coluit per & ardua nixus
Mille modis patriam nobilitauit humum.

Iam

Iam Mystes, Doctor, Castigatorq́ minorum
Ad gregis exemplum nobile lumen erat.
Fecit & ipse prius, docuit post, maxima virtus!
Exactis annis conscia laudis inest.
Namq; nouem lustris vni coniunctus Ouili
Promissi meruit præmia digna poli.
Nunc annis plenus (credas) lucratur Olympum,
Si gestis huius poscis habere fidem.
Concomitentur eum potius pia vota Camenæ,
Quæ vester feruens fundat ad astra chorus.
Fundamus cuncti, voto comitetur euntem,
Et mea funereis flexa Thalia modis
Incipiam: facile est, vobis praeuntibus: illum
Æternâ æuigenûm sede sedere precor.
Vota Deus capiat. Vos longos Nestoris annos
Ducite, queis fatis est superesse datum.



NÆNIA PROPEMPTICA.

APollo cernis? Laurigeram ocyùs
Triſti cupreſſo non ſine nænia
Exporge frontem! cum ſepulchro
En aperit Libitina ſcenam.
Ah! cui virorum? Non alium tuis
Hinc retroactis ſecula filijs
Vidêre Myſten, nec tulêre
Sarmatico genitum Trione.
Hic ille magnus Caſtalidum pater,
Diuinioris dux ſapientiæ,
Hic primus eduxit Polonis
Theologi pia luſtra Circi.
Quod nullus vnquam, nullus (ohè loquar)
Nec Purpurarum, nec Trabeæ patres
Labo-

Laboriosis protulerunt
Munus àút diadema Musis.
Est quod recenti vulnerepercitus,
Læti relinquas munera gaudij,
Iacturæ & instantis dolore
Damnificam doleas ruinam.
Mortalitatis deserit orbitam
Defunctus OBLAMKOVIVS, vltimam
Viam capessit, sed caducâ
Conspicuam meliore vitâ.
Eheu! moue nunc sacra vialia
Tanto Patrono triste propempticon
Nunc occinas, nunc apparatum
Craciades cumulent Camænæ.
Resuscitetur Castalius vigor,
Fauore functus quem meruit suo,
Comes recedentem sequendo
Officio decoret sepulchri.
Agnoscat & nunc Antipelargiam
Nostris remotus luminibus libet,
Et gratitudo sit recentum
Carmen hodæporiæ reportet.
Proh! ille mortis concidit impetu,
Primis ab annis qui tibi vouerat
Vitam, labores; quem fouebas
Vberibus placidis clientem.

Ephe-

Ephebus à te ſerta receperat,
Tui fauoris ſic epagogicus
Effectus, & templo & Cathedris
Innotuit columen perenne.
Non hic paternâ laudis adoreâ
Vixit beatus, non popularium
Laudes recenſendo; ſuorum
Ipſe fuit Dominus laborum.
Solumpaternum, non ſibi, gloriæ,
Nec vlli honori ſufficiens putans,
Sacrauit Aſcræo tenellam
Præſidio decoriq; mentem.
Primis ab annis nemo beatior
Apollinææ tùm penetralia
Adibat artis, primus ille
Officio ſtudioq; felix.
Non ſolus almo munere clarior
Viuebat, aſt vt cuncta refunderet
Curabat & feliciores
Diſcipulos ſtudij fouebat.
Nocere tandem Rhamauſidis truces
Æuo fruenti ne valeant ſibi
Iræ: Cathedram derelinquens
Sacra manu veneranda tractat
Annis nouenis. Inter eburnea
Eccleſiæ ſuggeſta terit duplum
Seclum

Seclum, ſaluti conſulendo,
Dulciloquo recreabat ore.
Dum xyſta adornat dêinde capit gradum,
Sumitque magnis digna laboribus,
Quos concionando peregit,
Præmia pro meritis, Honorem.
Octodecem quo functus amabiles
Tranſegit annos, omnibus incolis
Vitam apprecantibus. Vel æuum
Viueret ô vtinam ſuperſtes!
Creuiſſet vltra gloria Numinis
(Certum eſt) ſupremi: ſūma loqui poteſt
Structura, quam ſat ſumptuosè
Templa ſtruens operoſa fecit
Honoris Almi ſigna recogita,
Quem promouebat relligioſiùs
Non bina tantum teſtis ædes;
In minimis etiam videres.
Sed mitto: cunctorum hæc oculis patent,
Aut auribus ſunt ſenſilibus data,
Quæ cantilenæ? quiue ſumptus?
Gloria digna Deo canetur.
Deprædicabunt (credite) poſteri,
Nunquam ſilebit noſtra Academia,
Grata eſt; cùi fundatione
Theologos locuplete fecit.

Videtis ergô carpere nunc iter
Myſten? Patronum, præmia deſuper
In hunc redundabunt. Fauete &
Dicite. Facta Deus coronet.

E P O S
Aſſecutæ immortalitatis.

Dabis ei ſcutum cordis laborem ſuum. Thren. cap. 3.

VIx dum lacteolis picta coloribus
Vidit Leucothòé climata nubium,
Nec tu Phæbe pater luminis, ætheri
Luxiſti iubare aureo.
Dum iam mixta iocis triſtia triſtibus
Immiſcenda potens læta dedit Deus,
Naturæ paribus commoda cenſuit
Nutriri vicibus ſuis!
Has fortuna vices lubrica, labili
Et dura & facilis ſæpe probat rotâ,
Inuertenda vagis eſſeda paſſibus
Sortis conſcia Pleiadum.
Sed monſtri Herculei ſolſtitio domus
Conuicina luat. Non variantibus
Quaſſatur Zephyris, quod ſubitò nequit
Labi præſidio Dei, Non

Non commixta nocent, triſtia nec cient,
Quem laurus decorat parta laboribus,
Non laurum igniuomâ Mulciber igneus
Abſumet face viuidam.
Vinci ſe ſapiens luctibus & iocis
Terrarum Dominos, Rector & imbrium
Et gnarus placidi ſyderis, impios
Fortunæ vetat impetus.
Non nouit vicibus vir probus atteri,
Quem ſcuto Ægiſonans Diua recinxerit:
Ah! Heu! ſomni feræ ſubdere cuîlibet
Morti colla tamen datum eſt.
Non deflenda manent fata; laboribus
Quæ vitæ ſtadium deproperant pijs,
Quos hæres ſuperûm duxit ad æthera;
Virtus dulce lucrum ſui.
Non mortis iaculum, nec metuit Deam
Miſcentem medijs gaudia planctibus,
Dum vel non ſolito riſerit aureus
Sol, vel Cynthia lumine.
Diuorum coluit qui bene vineas,
Et vitam innocuo ſtamine duxerat,
Cuius cor teneris aſſiduus labor
Roſit nobile ſeculis.
Quidquid luctificâ Doride Pleiades,
Vel Phæbus ſtatuit ſoluere flebile,

Vel lunæ quod inest cornibus algidis
Pro terris lachrymabile,
Condensate Deæ. Non eget imbribus
Deflendus madidis, viuere pulchriùs
Qui cæpit superis, congenialibus
Toris adscitus incola.
Inter quem nitidæ fulgura gloriæ,
Merces scutiferis digna laboribus,
Iam tandem Empyreo collocat ætheri,
Vitæ meta volubilis.
Æternet tibi cæli Optime conditor,
Cuî scutum dederas cordis ahenei
Aduersus phaleras orbis & inferos,
Da iusto Requiem Viro.

A. M. D. G. B. V. M. H.



